UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D. Thomam De Beatitvdine. De Actibvs Hvmanis. De Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censvris. Prælectiones Theologicæ Posthvmæ

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 10. Vtru[m] Christus simul fuerit Viator, & Comprehensor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72898

Visual Library

rius. Potuiſſet enim ſe ſine timore, morti offerre. Sed noſtrâ causâ hũc affectũ aſſumere voluit; quia ad noſtram ædificationem & ſatisfactionem pertinebat. Ad Tertium, Non eſt de ratione timoris, vt ſit incerti mali; ſicut nec de ratione ſpei, vt ſit incerti boni: vt patet in animabus purgatorij: ſatis eſt vt malum apprehendatur tamquam futurum & imminens. Si tamen apprehendatur certò futurum, non naſcetur timor efficax, qui molitur euaſionem, ſed inefficax per modum velleitatis, & ſimplicis fugę, ſeu abhorritionis. Quomodo is qui iam eſt moriturus, deſiderat vitam & timet mortem. Eſt enim contractio quædam ſeu fuga appetitûs à malo abhorrentis. Hinc etiam naſcitur quædam triſtitia: malum enim certò imminens, reputatur quodammodo præſens. Vnde hic timor eſt fundamentum cuiuſdam triſtitiæ; non enim eſt idem quod triſtitia. Vnde quod D. Thomas ex Ariſtotele ait, Apprehenſionem mali certò futuri, non inducere timorem; intellige de timore efficaci, qui molitur euaſionem.

In quo cõſiſtat ratio Timoris.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm in Chriſto fuerit Admiratio?

22 *Admiratio* RESpondetur Affirmatiuè. Et Patet Matthæi 8. v. 10. *Audiens* IESVS *fidem Centurionis, miratus eſt.* Quæ verba propriè intelligi poſſunt. Ratio eſt; Quia eius cognitioni poterat aliquid offerri, quod eſſet ei magnum & inſolens: atqui hoc eſt obiectum admirationis.

Vnde naſcatur. Notandum eſt; *Admirationem* propriè videri eſſe actum intellectus, quo quis iudicat rem aliquã ſuperare ſuam opinionem, vel apprehenſionem; vel eſſe inſolitam reſpectu ſuæ experientiæ. Idem enim videtur eſſe, dicere: admiror hanc rem. Et dicere: hæc res eſt mihi valdè inſolens; ſcilicet reſpectu meę experientiæ & ſcientiæ. Hinc naſcitur amor inhærendi rei per cognitionem, vel etiam vlteriùs perſcrutandi; niſi ſit incomprehenſibilis: tunc enim naſcitur fuga curioſæ ſcrutationis. Signum huius eſt, quia poſſumus admirari ſine vllo timore aut fugâ appetitûs: ergo admiratio non eſt timor. Sed nec poteſt alius actus appetitûs aſſignari, qui neceſſariò ſit in admirante, præter amorem contemplationis illius rei; qui tamen Amor non eſt ipſa admiratio; Nam admiratio peperit amorem Sapientiæ; vt ait Ariſtot. in Metaphyſicis. Deinde; hic amor non eſt ſemper neceſſarius; vt cum admiramur perfidiam aut malitiam alicuius hominis. Eſt igitur *Admiratio* actus intellectûs. Nec obſtat quòd D. Thomas 1. 2. q. 41. art. 4. admirationem faciat ſpeciem timoris; quia admiratio interdum accipitur pro ſuo effectu, qui aliquando eſt quidam timor; nempe fuga ſcrutandi id, quod eſt inſcrutabile. Miratus itaque eſt Chriſtus fidem Centurionis, quia etſi ipſius cognitioni infuſę non eſſet noua, tamen ipſius experientię inſolens & noua erat tanta fides, cùm tantam in Iſraël non eſſet expertus. Sicut Aſtrologus videns Eclipſim, quam anteà numquam expertus erat, miratur; quamuis ratione eam anteà nouerit.

Quomodo Chriſtus ſit admiratus fidem centurionis.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm in Chriſto fuerit Ira?

RESpondetur affirmatiuè. Marci 3. v. 5. *Circumſpiciens eos cum ira.* Ratio eſt; Quia fuit in ipſo appetitus repellendæ iniuriæ, ſibi & Patri illatæ. Vnde etiam poterat ſanguis & ſpiritus cõcitari circa cor. Atqui hoc eſt ira. Vide D. Tho. 23 *Ira.*

ARTICVLVS X.

Vtrùm Chriſtus ſimul fuerit Viator & Comprehenſor?

RESpondetur affirmatiuè. Notandũ eſt Chriſtum ab initio conceptionis fuiſſe Comprehenſorem, ſeu vidiſſe diuinam eſſentiam; vt oſtenſum eſt ſuprà q. 9. a. 2. & q. 10. Quòd autem ſimul fuerit Viator; Patet Primò, Quia ſecundùm corpus non erat beatus, nec etiam ſecundùm omnes animæ potentias: ſed adhuc tendebat ad beatitudinem, quod eſt viatorum. Secundò; Quia & corpore & animo erat paſſibilis. Tertiò; Quia ſibi & alijs poterat mereri. Sibi, gloriam corporis, & nominis exaltationem: alijs, gloriam animi & corporis. Atqui mereri eſt proprium munus viatoris. 24 *Viator.*

QVÆSTIO XVI.

De conſequentibus vnionem quantum ad ea quæ conueniunt Chriſto ſecundùm eſſe & fieri.

In Duodecim Articulos diuiſa.

1 *Communicatio idiomatum.* AGitur hâc quæſtione de communicatione Idiomatum, quâ proprietates Dei, tribuuntur homini; & proprietates hominis, tribuuntur Deo. Cuius communicationis tota ratio eſt, quòd vna eademque perſona verè & propriè ſit Deus & homo.

ARTICVLVS I. & II.

Vtrũ hæc ſit vera: Deus eſt homo? *&*, Homo eſt Deus?

RESpondetur; vtraque eſt vera. Patet ex omnibus ijs, quibus ſuprà q. 2. a. 2. & alibi, probatum 2